

*subl. p. 12. An. an. : hui
revelat - caput...*

*Innocentii III ep. ist. 1)
l. VII, 154*

dam miranda, imo veris miraculis plena, quae in diversis partibus mundi accidere et temporibus, *narrabimus* [a] huic coelo [b]. Qui *revelat* mysteria, ipse mutat [c] tempora et transfert regna. Hoc certe in regno Graecorum, temporibus nostris *audimus* adimpleri; quoniam his, qui dominantur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud. Constantinopolitanum imperium / a superbis ad humiles, ab inobedientibus ad devotos, a schismaticis [d] ad catholicos, a Graecis videlicet transtulit ad Latinos. Sane a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Haec est profecto dexterae Excelsi mutatio, in qua dextera Domini fecit virtutem, ut sacro sanctam Romanam Ecclesiam exaltaret et gentem Latinam, dum filiam reddunt ad matrem, partem ad totum, membrum ad caput. Qualiter haec omnia facta sunt praesens, licet humili stylo, declarabit sermo. Sub anno itaque Domini MCLXXXIII [e] laborans in extremis, Emanuel [f], Constantinopolitanus imperator, de suorum consilio principum, Zurum Andronicum [g], sibi linea consanguinitatis conjunctum, totius imperii rectorem post suum decessum, et sui filii Alexii nomine tutorem, in suo instituit testamento. Qui, post mortem imperatoris, dominio totius imperii plenarie accepto, diabolico instinctu agitato, puerum praefatum propriis dicitur occidisse manibus [h]. Zurram Mariam jam dicti imperatoris filiam, et ejus virum Rainerium marchionem, filium scilicet domini Guillelmi de Monteferrato, post multa et varia bella veneno mori coegit. Deinde multa millia tam Graecorum quam Latinorum, secundum quod noverat eos praefatum dilexisse imperatorem et ejus progeniem, variis flagellabat tormentis. Cum autem per quinquennium [i] [j] tantam exercuisset tyrannidem [k], et sine causa vellet occidere quemdam discretum et nobilem virum, Iursatum nomine [l], tempore, ut ei placuit, qui nihil dimittit inultum, Constantinopolitanis fere omnibus apud Sanctam Sophiam congregatis, scelus totum patefecit tyranni [m] et quomodo omnium sanguinem sifibat bonorum. Tunc, tam clerici quam laici, voce una, communi concordia [n] ipsum ad imperii elegerunt fastidia [o], imponentes ei coronam in nomine Domini [p]. Imperator itaque novus, cum omni populo

[a] *accidere et temporibus, narrabimus.* Addidimus et, nec non *narrabimus*; nam quid simile desideratur in codicibus. — [b] *huic coelo.* Sic C. M. et Cl. Mitt.; *hinc coelo*, C. V. Fortasse aliquid hic quoque desideratur. — [c] *ipse mutat.* Sic C. V. et Cl. Mitt. Pro *ipse*, in C. M., legi posse videtur etiam *tempore*. — [d] *a schismaticis.* Sic lego. In Codd., a *Seismaticis*. — [e] *Domini MCLXXXIII.* Sic C. M.; at C. V. habet MCLXXII. Utrumque perperam scriptum puto; legendum enim videtur MCLXXX. — [f] *Emanuel,* Ita Codd. — [g] *Zurum Andronicum.* In Codd., *Zurum Antronicum*. — [h] *per quinquennium.* Sic Codd. — [i] *exercuisset tyrannidem.* Sic C. M.; *excitasset tyrannidem*, C. M. — [j] *Iursatum nomine,* C. M.; *Iurlatum nomine*, C. V.; sed rectius scribendum esset *Isaacium*. — [k] *patefecit tyranni.* Sic lego. In C. V., hic lacuna est. Legi etiam potest in C. M., *patefecerunt tyranni*; sic enim se habet: *tatefec. tyranni*. Cl. Mitt. obscuros et evanidos characteres sic vertit: *scelus totum interfecti tyranni*, et praeterea subdit aliquod verbum aliud deesse. — [l] *communi concordia,* Codd. M. et V. — [m] *elegerunt fastidia.* Sic C. M.; *elegerunt fastigium*, C. V.; *elegerunt fastigia*, Cl. Mitt.

[A] Legendum fortasse anno MCLXXX, quia hoc anno Emanuel obiit, non vero illo, quem habent Tolosani Codd. Anno quidem MCLXXXIII, Emanuelis filium esse occisum non negamus. Sed hac de causa Tolosanus hallucinatus videtur, referens ad hunc annum ea quae filio convenirent, tamquam eius patri propria.

[B] Anno scilicet MCLXXXIII; tertio nempe anno post Manuelis patris obitum. Tunc Alexius duodecimum solum agebat annum.

[C] Si ab anno, quo occisus fuit filius Manuelis, sumatur initium, scribendum esset: *per bien-nium*. Si vero ab obitu Manuelis, tunc recte *per quinquennium* numeraremus.

[D] Isaacius occiso tyranno successit, anno MCLXXXV quo haec evenerunt.